



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Innocentio X. Pont. Opt. Max. Ioannes Card. de Lugo Post Sanctissimorum
Pedum Oscula, Felicitatem æternam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)



INNOCENTIO X.
PONT. OPT. MAX.

Ioannes Card. de Lugo

POST SANCTISSIMORVM PEDVM OSCVLA,
Felicitatem aeternam.

QUOD felic. record. Antecessor
tuus Vrbanus Papa Octauus
mihi, Te præsente, ac assentiente,
imposuit, cùm me nihil tale vel
opinantem, vel metuentem ad
Cardinalitiæ dignitatis onus aduocauit; nimi-
rum nec Catholicam, & Romanam Fidem
non minùs calamo, & atramento, quàm viri-
bus, & sanguine tuerer: en iam nunc, BEATIS-
SIME PATER, in totius ista gestientis Orbis
gratulatione, Tibi in eiusdem Urbani, ac Petri
Cathedra sedenti, non officij solùm memor,
sed in monumentum & gratitudiniss & reue-
rentiæ debitæ, ad sanctissimos istos pedes pro-
uolutus obsequentissimus offero. Tractatum
scilicet in eiusdem Fidei tutelam, & explana-
tionem

tionem pro mei captus exiguitate elucubratum. Ad quem enim in hac rerum perturbatione exagitata vndique Fides confugiat, nisi ad refugium petræ illius, aduersus quod vnum portæ inferi non præualebunt? Hæc quippe Fides est, quæ, vt optimè nosti, speciosissimam Sponsam tuam ab initio concepit, & fœcunda semper generatione parturire non desinit; hoc est, fidelium cœtum, quem ECCLESIAM appellamus: vnam quidem, sed sanctam, Catholicam, & Apostolicam: VNA EST ENIM COLUMBA MEA, PERFECTA MEA. Porro si Columba ipsa, tanquam sponsa, in thalamo tuorum stemmatum iure suo degere conspicitur: Sponsæ genitrix, quæ fides est, Ecclesiæ, & fidelium mater, non potuit certè apud alium hospitari, si hospitari velit. Scimus enim, Simonis socrum, hoc est, Sponsæ matrem, si quando periculosè langueat, non nisi in eiusdem domo
Luc. 4. Simonis, qui Ecclesiæ sponsus est, medica
Christi manu curatam perfectè conualescere. Hæc fuit, SANCTISSIME PATER, nostri omnium spes, quando adspirante, & inspirante mentem nobis Diuino Numine, & lumine, calamitoso hoc tempore, sponsum Te Catholicæ Ecclesiæ designauimus. Sperauiamus iam tunc Fidei nostræ in ærumnoso hoc rerum statu grauius, ac periculosè languenti, à conspectu gentilitiæ tuæ Columbæ viridem oli-
uæ

uæ ramum gestantis, decorem pristinum, &
integram sanitatem. Si enim vllum vnquam
tempus huiusmodi Pontificem desiderauit,
qui auctoritate, magnitudine animi, peritia
rerum gerendarum floreret, idémque etiam
studia pacis amaret, à bellisque ac tumultibus
toto animo abhorreret; hoc ipsum profectò
est, quo Christiana Respublica intestinis bel-
lis, ac discordiis laborat, populorúmque animi
insanire conspiciuntur, vt nisi summo men-
tis conatu succurratur, ad interitum omnia ci-
tò peruentura videantur. Tu verò solus occur-
rebas pacificator idoneus, qui mentes eorum
componere, armáque de manibus excutere,
aut in verum, capitalémque hostem conuer-
tere posses. Vnde non mirum, si Tibi ad istius
Sedis fastigium euecto vniuersus plauserit
Orbis; quia sicut gloriæ tuæ nullus fuit mo-
dus, ita nec profectò lætitiæ communis, ac præ-
cipuè meæ. Nec exaruisse putes lætitiā, vel
spem semel conceptam. Quotidie florescit, &
quò plus temporis, eò lætitiæ plus accessit:
nunc enim sapientia regimur, doctrina instrui-
mur, exemplo monemur, disciplina corripi-
mur: antea sperabamus ista, non experieba-
mur. ex his autem, quæ experti sumus, spera-
mus & illa, quæ nondum concessum est ex-
periri. Meminimus enim, nec priscum illum
Noë in primo columbæ reditu, quamuis iam

virentis oliuæ recrearetur adspectu , deposuif-
se omnino metum , sed expectasse septem ad-
huc dies, donec tumentes omnino fluctus de-
feruescerent , vt tutò iam posset in arida terræ
facie pedes figere. Speramus & nos, BEA-
TISSIME PATER , omine non impari fortu-
nam parem, quotquot in hac arca (quam iam
olim Petrus Christi Ecclesiam interpretatus
est) irati Dei supplicia sustinuimus : eundem-
que Deum oramus assiduè, vt Te nobis salu-
uum diu, & incolumem seruet, sine quo salus
ipsa publica certissimè periclitatur. Tu interim
impolitum hunc, & rudem inopis mentis fec-
tum ea, vt spero, benignitate accipies, qua me
meaque omnia ab ipso ferè faustissimo tuo in
Vrbem reditu dignatus es prosequi. Ego vero
& Fidem hanc meam & quicquid de illa,
aliisve argumentis scripsi , scripseroque vn-
quam , sanctissimo iudicio tuo (quod Dei
ipsius iudicium esse non ambigo) ad sacros
istos pedes iterum prouolutus, qua par est ani-
mi reuerentia , ac demissione subiicio. Romæ
primo Maij 1645.

INDEX